

## Quæstio Prima

di et operari: quia esse est fundamentum presuppositum a posterioribus perfectionibus propter quod illud quod dependet a materia quo ad esse dependet quo ad perfectiones exteriores. Sed omnes forme que educuntur de potentia materie sic dependent a materia quod naturaliter nullo modo sunt nisi in materia ergo conditiones materie in omnibus alijs sequuntur tales formas scilicet in extendi et operari et tales forme sunt non solum in animorum sed etiam animalium existentia perfectorum preter hominem: igitur omnes extendunt preter animam humanam. Ut autem aliquis earum manent diu post divisionem sicut in plantis et animalibus annulosis licet minus quam in plantis. Alique autem vel cum sua divisione corruptiuntur: vel si maneant hoc est per minimam morulam temporis sicut in animalibus perfectis. Et huius causa est perfectio forme maior vel minor: quia forma magis perfecta requirit in suo perfectibili maiorem diversitatem in organis quam est principium plurimum operationum. Instrumenta enim non habent quibus salvetur natura unde perfectioni forme educte de potentia materie non repugnat extendi sicut quidam putant. Item omnis res que est pure et simpliciter corporalis est capax proprietatis que est per se et inseparabiliter conditioni corporis: sed materia et omnis forma generabilium et corruptibilium sub anima rationali est simpliciter corporalis: quia non possunt esse per naturam nisi in corpore cuius sunt per se partes: igitur omnes tales sunt quante. Item ponamus quod aliquis natus fuerit sine manu postea per miraculum addatur eius manus talis manus non vivificaret per animam de novo creatam: quod tunc due anime essent in eodem supposito quod est inconveniens: ergo per animam prius existentem sed hoc non potest nisi per motum localem vel extensionem non per motum localem: quod talis motus non competit anime in corpore suo quod etiam mouet localiter accedendo ad unum locum et dimittit alium et sic oportet quod anima tendens ad vivificantem unam partem dimitteret alias partes quas vivificabat quod est inconveniens: ergo relinquitur quod per extensionem vide San. Tho. de spiritualibus cre. ar. 4. ad. 12.

Ad primum dicitur negando consequentiam: quod ad esse hominem requiritur anima cum corpore quod est primum et proportionatum eius perfectibile ut dicit San. Tho. I. parte. q. 76. ar. 3. ad. 3. Notandum tamen quod Plato posuit diversas esse in corpore uno etiam secundum organa distinctas unde vim nutriti uam dicebat esse in epate concupisibilem in corde cognoscitum in cerebro. Sed hoc reprobavit philos. quod in animalibus que decisa vivunt in qualibet parte inueniuntur diverse operationes anime sicut sensus et appetitus: ergo ibi non sunt diverse anime secundum diversas partes distribute: sed de anima intellectua philo. relinquit sub duobus utrum scilicet sit separata ab alijs partibus anime solum ratione an etiam loco nichilominus tamen dicendum est quod anima rationalis etiam est in qualibet parte si enim in aliqua parte esset alia anima tunc homo non esset simpliciter unum ens ut dicit San. Tho. ibidem ar. 3. Pythagoras ut dicit Alber. in. I. de anima dicit quod in uno animali sunt multa animalia ut epar est animal distinctum a corde. c. 90. et ita multi nunc dicunt quod qualibet pars integralis hominis est homo et sic in uno equo militis essent infiniti equi: quia sunt infinite partes

## Articulus Tertius.

integrales quod videtur absurdum. Sed contra anima est totum homogeneum et similiter materia ergo equus est totum homogeneum: ergo qualibet pars equi est equus sicut pars aqua est aqua. Item nulla relatio est de ratione substantie: sed totum dicit relationem ergo non est de ratione animalis quod componatur ex anima et corpore toto. Ita ista est necessaria hoc est animal demonstratio sorte: ergo dato quod addatur sibi aliqua pars adhuc illud quod perficit est animal. Totum enim residuum preter auriculam asini est asinus. Dicendum negando primum antecedens saltem in animalibus perfectis: quia forma requirit diversas dispositiones sed in alijs videtur quod qualibet pars animae sit anima: ergo in eis anima est homogenea: licet posset negari ista consequentia de substantia incompleta. Ad alia dictum est in logica. Deinde dicitur quod substantia spiritualis que videtur tantum ut motor est in loco per operationem tantum si queratur ex quo anima intellectiva est in digito an digitus intelligat et discurrat dicitur quod non: quia non primo perficitur ab anima: sed contra ubique est subiectum ibi est accidentis eius: sed anima est in digito: ergo et intellectio: ergo intelligit ibi licet non habeat ibi fantasma que necesse est speculari propter hoc quidam concedunt quod in digito sunt quatuor virtutes cardinales: quia ibi est anima in qua sunt aliquando illae virtutes.

Ad secundum dicitur quod diffinibile potest dividiri in partes rationis et essentie secundum partes distinctionis. Et ideo habet totalitatem essentie. Ad aliud autem patet quod non est ad propositionem: quia essentia albedinis dicitur esse in qualibet parte: quia in qualibet parte est albedo cui conuenit tota diffinitio albedinis.

Ad tertium negatur antecedens: quia non habet ubique eandem potentiam. Sed utrum in animalibus imperfectis anima sit secundum totam virtutem in qualibet parte videtur quod sic sed de hoc postea in arboribus enim non tota virtus anime videtur esse in qualibet parte: sunt enim diverse organa quasi membra officia lumen folium protegit fructum ne ledatur a calore vel frigore. Fructus autem habet certam in quo operatur semen ut maturescat. Sedulam autem habet quasi loco cordis. Radices autem trahunt nutrimentum. Sed tamen videtur quod plante ubique habent omnem facultatem anime vegetative unde etiam ramus trahit cibum ut patet si infigatur terre. Et ideo marime in animalibus perfectis diverse partes habent distinctas virtutes. Per stomachum enim fit cibi coctio. Per epa autem digestio sicut in domo artificialiter facta sunt diverse partes et artifex habet diverse instrumenta. Ad aliud dicitur quod non est in conueniens idem contrarium motibus moueri per accidentem ut dicit San. Tho. q. de anima ar. 10. ad. 12. Tam in. I. d. 37. q. 4. ar. 1. ad. 4. dicit quod anima mouetur per accidentem moto corpore non autem si tantum manus moveatur. Et idem habetur in. 2. d. 8. ar. 4. ad. 4. Sed contra moueri per accidentem nichil aliud est quam esse in aliquo quod mouetur. Dicendum quod oportet quod sit in eo diffinitive. Nec est simile de calamitate et motu quia motus non est in anima subiective. Sed contra: nichil dat quod non habet. si ergo anima non habet motum sequitur quod non dat motum corpori. Dicendum quod anima habet motum in virtute. Sed queritur si esset tantum unus homo. An ant-